



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**Francisci Montmorencii E Societate Iesv Cantica Et Idyllia
Sacra**

Montmorency, François de

Antverpiae, 1638

Quàm dilecta tabernacula. Psal. 83.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-69423](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-69423)

PSALMVS LXXXIII.

TITVLVS,

Pro ^a torcularibus filijs Core.

^a *Materia huius Psalmi valde conuenit hic Titulus. Sicut enim tempore vindemia musto madidus vinitor in canticum erumpit; ita Propheta ex amoris Diuini torculari hunc Psalmum expressit. b Deum viuum appellat, ad distinctionem eorum deorum qui putantur dii: sed mortui sunt, ait Hieron.*

Quam dilecta tabernacula tua Domine virtutum! concupiscit & deficit anima mea in atria Domini.

Cor meum & caro mea exultauerunt in ^b Deum viuum.

Etenim passer inuenit sibi domum, & turtur nidum sibi, vbi ponat pullos suos.

Alta-

ARGUMENTVM.

Exponit hîc DAVID flagrantissimum suum desiderium Ædem sacram adeundi, & ibidem commorandi, pluris æstimans vel infimum in templo Dei obire ianitoris munus, quàm habitare in palatijs impiorum. Mirificè conuenit hic Psalmus Religiosis.

T *Va quàm lubens frequento
Deus ô supreme templa!
Nihil Orbe par in omni,*

*Nihil est ijs secundum.
Aliunde nulla posthac
Veniet prior voluptas
Mihî, quàm tuis ab Aris.*

*Quibus ô quibus salit cor
Mihî gaudijs; pedesque
Quibus incitantur alis,
Tua quando Sancta viso?
Alijs colenda linquam
Simulacra surda diuûm;
Ego, semper audienti
Tibi ritè supplicabo.*

*Et habet cubile passer,
Et habet cubile turtur
Patule nucis sub umbrâ:
Ego sedis huius hospes,
Ego fretus hoc asylo,*

Neque

*a Impensè
aliquid de-
sideranti-
bus, valdè
congruit
Aposiope-
sis.*

a Altaria tua Domine virtutum : Rex
meus, & Deus meus.

Beati, qui habitant in domo tua Domine:
in sæcula sæculorum laudabunt te.

*b Disposuit
ascendere
ad eum lo-
cum, quem
constituit
Dominus
sibi in habi-
tationem.*

Beatus vir, cuius est auxilium abs te:
b ascensiones in corde suo disposuit, in val-
le lacrymarum, in loco quem posuit.

Etenim benedictionem dabit legislator,
ibunt de virtute in virtutem : videbitur Deus
deorum in Sion.

Domine

Neque passeri cubile,
 Neque turturi latebras
 Minimum vel innidebo.

Deus ô meus, meus Rex!
 Tua semper Ara, nidus
 Mihi sit, locem fouendas
 Vbi cogitationes,
 Vbi molliter quiescam.
 Ter & amplius beati,
 Tua quos domus sacratis
 Penetralibus recepit!
 Procul hi negotijsque,
 Strepituque curiarum,
 Eremituque praliorum,
 Tibi consecrantur vni;
 Tibi feriantur vsque,
 Genialibusque tollunt
 Tua facta semper hymnis.

Sed & est beatus ille,
 Ope qui tuâ leuatus
 Solymæa templa scandit
 Tibi vota redditurus;
 Iter & laboriosum
 Superans vigente plantâ
 Alacer subit Sionem;
 Ubi te palàm videbit
 Pretium suæ reportans
 Operæ, tuos Amores,
 Superùm perenne nectar.

Age,

Domine Deus virtutum exaudi orationem meam : auribus percipe Deus Iacob.

** Observare est hic Hyperbaton. Si enim versiculus Protector noster, præponatur versui Domine Deus, commodior erit sequentium connexio.*

* Protector noster aspice Deus : & respice in faciem Christi tui.

Quia melior est dies vna in atrijs tuis super millia.

Elegi abiectus esse in domo Dei mei, magis quàm habitare in tabernaculis peccatorum.

Quia misericordiam & veritatem diligit Deus : gratiam & gloriam dabit Dominus.

Non priuabit bonis eos qui ambulant in innocentia : Domine virtutum, beatus homo qui sperat in te.

Age, Rex supreme Regum
 Placidus veni, bonusque
 Dauidi tuo, paternis
 Ab ouilibus vocato
 Ad eburneas curules!

Age, Sospitator illi
 Ades: auribus secundis
 Age quæ precatur audi:
 Quoniam die vel vno
 Solymis manere mauult,
 Agitare quàm trecentis
 Alibi diebus annum:

Quoniam tui minister
 Magis optat esse templi,
 Habitare quàm superbas
 Procul à Sione turres,
 Arabumque possidere
 Opulenta sceptrà Regum.

Ita sit Pater! nec umquam
 Aliud petam: nec umquam
 Aliud dato rogatus;
 Tibi mos enim piorum
 Precibus fauere castis.

Deus arbiter duelli,
 „Sua vota quisquis est spem
 „Posuisse gaudet in te,
 „Satis est superque felix.

